



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. A pœna non meliorari, usitatum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

tendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu; ipsaque accedens osculata est summitatem virgæ ejus. Ellh. 5. 2.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua. Job. 1. 20. cum suorum armentorum rapinas, fervorum clades, filiorum cædes; quibus incredibiliter commoveri poterat, audivisset. Orig. l. 1. in Job. conscidit vestimenta sua, sine morâ semetipsum ad ipsas præparans plagas; ecce, inquit, corpus nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate inimici, tanquam Dei satellites. Ego autem sufferam: vos verberate; ego autem sustinebo. Mendoza in 1. Reg. 2. Pœnâ à Deo &c.

Dicit: peccavi, & verè deliqui: at, ut eram dignus, non recepi. Quid inde factum? liberavit animam suam, ne pergeret in interitum. Job. 33. 27. 28.

Ego in flagella paratus sum. Pl. 37. 18. S. Ambros. hic: si servulum tuum vides peccata propria consentem, ultro offerre se pœnâ; in flecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis? Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipso electus Deo, spontaneus se flagellis offerebat; & tu erubescis? Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Ve qui dicitis malum bonum. Il. 5. 20. ac per hoc bonum dicunt malum, qui in aliquo judicant Patrem omnium Deum: qui de sua providentia murmurant: qui, cum justè punit, ei sævitiam, sibi innocentiam, tribuunt: qui abyssum judiciorum ejus non intelligentes, & improvidum, aut acceptorem personarum, opinantur. Sim. Cas. l. 2. c. 1.

Bonum verbum Domini. Il. 39. 8. id est, placet mihi sententia Domini punientis meam vanitatem. Cornelius hic.

In veritate, & in iudicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Dan. 3. 28.

Peccavimus, & iniquè fecimus. Dan. 3. 29. Dicunt homines, quando pœnam sustinent: si meruissimus, non erubesceremus; nunc autem injustè pati ignominiosum est nobis. Obsequium videtur: imò si pro culpa pateris, erubescere; si sine culpâ, gloriare: latro magis esse vis, quàm Christus? Hugo à S. Vict. in illud Pauli. Gal. 6. 14. mihi ablit gloria &c.

Videamus, cur tantorum criminum reus tam citò à Salvatore paradisum promeretur? Magna, & multiplex, causa est: primùm, quòd devotione fidei tam repenti mutatus est; ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur: & magis crederet, utile sibi esse, de æterno iudicio petere, quàm de temporali supplicio postulare. S. Ambros. f. 44. de latrone.

Quid miramur, si peccantes nos Deus verberat; cum ipsi peccantes servulos verberemus? Salyanus l. 4. de Provid. Dei.

§. VI.

Pœnas ferendi alia motiva.

Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. 1. Reg. 24. 5. Vide & cognosce oram chlamydis tuae in manu mea. v. 12. q. d. vide o Saul: unò eodémq; la-

bore, te jugulare potuissim, quò vestimenti limbum præcindere. Idem inter Deum, & peccatorem, intercedere videtur. Quis eò ipsò, quò peccamus, à Deo nos neci corporali, & spiritali, dari posse ignorat? nihilominus, in gratiam misericordiam, præfissione oræ chlamydis, afflictione, morbo, incarceratione, opum jacturâ &c. contentatur, Paoletti D. 6. Pent.

Stillavit super nos maledictio. Dan. 9. 11. stillavit: quia Deus iram suam, misericordiam temperans; guttatim effudit. Cornelius hic.

Nunc majore, & mirabiliore, gratiâ Salvatoris in usus justitiæ peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini: morieris, si peccaveris: nunc dicitur Martyri, morere, ne pecces. - Sic per ineffabilem Dei misericordiam, & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis; & fit iusti meritum etiam supplicium peccatoris. S. August. de Civit. l. 13. c. 4.

Verùm his multò acerbiora divinx iræ thesauri apud se continent; quæ utinam nobis experiri nunquam contingat! Nec verò experiemini, modò ad Dei miserationes confugiatis; eumque, qui vult misericordiam, lacrymis permoveatis; ac morum emendatione, quiddid deinceps iræ sequitur, advertatis. Adhuc lenitas, & clementia, est ea calamitas, in quam incidimus, mitisq; correctio, plagæque elementa teneram ætatem coercentis: adhuc iræ fumus, suppliciorum prælidium. Nondum ignem exurentem sensimus, hoc est, concitatissimam Dei iracundiam, non succensos carbones, id est, extremas pœnæ acerbitates. S. Greg. Naz. or. 26. in plagam grand.

§. VII.

A pœna non meliorari, usitatum est.

ET facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Gen. 7. 12. Quæ inde secuta emendatio? Gen. 11. 4. faciamus nobis civitatem. S. Chrysost. hom. 30. in Gen. vide, oro, quantum invaluerit malitia! Habentes adhuc recentem memoriam generalis indiluvio interitus; in tantam inciderunt insaniam. Mirabilius est, quod addo: à Noè, usque ad Abraham, spatiò plurimum centenorum annorum, neminem in Scriptura veræ pietatis, & religionis, cultorem reperiri. S. August. de Civ. l. 16. c. 1. post Noè non invenimus, usque ad Abraham, cujusquam pietatem evidenti divinò eloquio prædicatam, Mendoza in 1. Reg. 5. 11. annot. 18. Sect. 1.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat; sed non Pharaon, quod promiserat. Videns autem Pharaon, quòd data esset requies, ingravit cor suum. v. 15. Data requies obstinationem nutrebat; expertum discrimen ulterius metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta funebat Pharaon, quia ranas evasit; quàm timoris caperet, quia sustinuit: data salus stultam genuit fiduciam. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Arripensq; vitulum, quem fecerant. &c.

Ex. 32.

Ex. 32. 20. Unum vitulum in deserto conflârunt Israelitæ: Moyses, quâ potuit severitate scelus vindicavit; ipsos vituli conflatores, & cultores, ad viginti tria millia, per Levitas obruncavit v. 28. aptissima videbatur hæc severitas ad tantum nefas in totam posteritatem abdicandum. Sed quid factum? 3. Reg. 12. 28. Jeroboam *excogitavit consilio fecit duos vitulos aureos*. Imò nec propriis pœnis correctus, sed pejor 3. Reg. 13. 5. 33. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. Ann. 18. Sect. 1.

Cum exierint contra nos; sicut ante fecimus, & terga vertemus. Jos. 8. 5. *putabant enim nos fugere, sicut prius*. Tale est peccatorum ingenium; ut, si imminentiâ mortis, aut calamitatis, discrimina effugerint, iniqua iterum non caveant consilia. Naxera in Jos. 8. 5. 13.

Quam acerba illa fames Samariæ, cum totis tribus annis nê tenuis quadem ros è celo stillavit. 3. Reg. 17. 1. arescentibus non solum agnis præficcitate; sed etiam gregibus, & hominibus, præ fame tabescentibus. Sed quæ virtutum fruges ex tanta frugum inopia? S. Chrysof. l. 2. de Elia; proh nefas! nulla ex pœna correctio. Et quasi adversis hominum malitia provocetur; succrescit quotidie, quod puniatur. perseverat in populum fames, malis perseverantibus populi. Universi deficiunt victu, & ab idolorum non deficiunt cultu. Et quasi diversitas ista invicem concertaret; sic sese ista seperare contendunt; ut putarent dementes fucleribus famam vincere, facionibus necessitatem avertere peccatis inopiam superare. Mendoza antè cit.

Propè erit interitus Ninive. Tob. 14. 6. Quomodo id tam certò asserit? Sciebat, urbem illam pœnitentiâ eversionem prædictam evasisse; quia videbat relapsos. Lyran. quoniam ad verba Jonæ Ninivite egerunt pœnitentiam, ideo subversio illa fuit dilata. Postea verò Ninivite reversi ad vitia consueta: propter quod destructionem ejus iterum dixit Dominus per Nahum prophetam; quam appropinquantem prædixit hic Tobias. Sylveira in Joan. 5. 14. l. 5. c. 1.

Defecimus in ira tua. Pl. 89. 7. q. d. Domine tu iratus es nobis, propter peccata nostra; & flagellasti nos: sed non correximus nos; sed *in ira tua defecimus*, murmurando, impatienter sustinendo, à peccatis non cessando. Jer. 5. 9. *percussisti eos, & non doluerunt &c.* Proverb. 3. 11. *ne deficias, cura ab eo corripervis.* Hugo Card. in Pl. 89.

§. VII.

Non correctum per pœnam sequitur alia, & plerumque major.

Tolle virgam tuam. Ex. 7. 9. Moyses ingressus cum virga ad Pharaonem, *quæ versa est in colubrum*. Ex. 7. 10. S. Bruno apud Godefridum: venit Moyses ad Pharaonem non cum gladio, sed cum virga. Unde, si pœnitere voluisset; facile ad ignoscendum Deum per hoc cognoscere poterat. Sed quia pœnitere noluit; in colubrum virga convertitur: ut majoribus dignis supplicis minis correctionis tormenta se expectare intelligat. Et ideo, quia virgâ non

Polyanth. Sacra, Tom. II.

corrigitur, draconi id est diabolo, traditur puniendus.

Aggravata est manus Domini super Azo-tios. 1. Reg. 5. 6. Non respuerunt ad primam plagam; sed induruerunt ad majorem culpam. Non Dagonem divinitus de suo loco dejectum non spreverunt; sed magis coluere: nam antè illius aram colebant, post illius januam. v. 5. Pessimi homines; qui pœnis non emendantur. Mendoza in 1. Reg. 5. 6. annot. 17. Sect. 2.

Væ Assur! virga furoris mei, & baculus; ipse est. Il. 10. 5. Assur, virga furoris, est Turca, & quivis tyrannus. Assur dicitur virga respectu filiorum teneriorum; baculus autem respectu peccatorum obstinatorum. Dicitur virga furoris: quia Deus eâ non utitur, nisi valde iratus. Cornelius hic.

Videns civitatem, stetit super illam.

Luc. 19. 41. Scis, Jerosolyman Titò Duce punitam gravius, quam sub Chaldo: ut patet ex longiori calamitate, quæ hodie dum durat. Nam pœna Hebræo illata per Chaldaum, stilla est. Ezech. 21. 2. & Dan. 9. 11. *Stillavit super nos maledictio*. Cum verò Jeremias exponit cladem à Tito inferendam post Christi D. necem, ait Thr. 2. 4. *tetendit arcum suum; effudit, quasi ignem, indignationem suam*. S. Paschal. l. 2. hic: quanto magis ex Dei patientia tempus extenditur; tantò vindicta durior accumulatur. Velloso in Judith. 5. Paræn. 23.

Jam noli peccare. Joan. 5. 14. Theophylactus: qui enim priori supplicio non est emendatus, ad majora tormenta ducetur, tanquam insanus, & contemptor.

Sciendum est nobis: quia pœna præsens, si animum afflictè convertit, finis est culpa præcedentis. Si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. S. Gregor. l. 9. ep. 25.

§. IX.

Pœnâ temporali non correctus,

time æternam.

Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. Pl. 80. 16. Mentiti sunt in promissis suis: & ideo non punientur pœnâ temporali; sed *erit tempus eorum in secula*. S. August. hic: erit tempus eorum, non ad tempus, sed in æternum. Sylveira in Joan. 5. 14.

Virgam vigilantem &c. Jer. 1. 11. Quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuntur; ut paulatim veniant ad salutem. Qui noluerint percussente virgâ emendari, mittuntur in ollam æneam, atque succensam &c. S. Hieron. hic. Pœna hujus vitæ est virga correctionis, misericordiæ, & paternæ. Alterius erit ignea, ad tormentum, & pœnam. In olla coquentur carnes. Stella de cont. Mun. p. 3. c. 97. Orig. Rupert. & S. Ambrosius in Pl. 38. prius Deus hic pœnitentibus exhibet virgam correctionis: quam si nolint; impenitentibus reservat ollam gehennæ. Quærit S. Ambros. cur post virgam olla? respondet: quia, qui baculo non corripitur; in ollam mittitur, ut ardeat. Apud Doultreman de am. l. 4. c. 3. Sect. 5.

Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est; si non corrigatur, duplex

LII

damna: